



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcoporum transmutatione. ccxxxiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

postea eum in propriū restituit locum Ecclesiae suae. Misenum episcopū à Felice papa damnatū, Gelasius papa successor illi⁹ & cōmunicauit, & Ecclesie suae restituit. Leontius dum esset presbyter depositus fuit, sed postea in Antiochia patriarcha extitit. Gregorius verò quartus papa Theodosiū, quē Eugenius eius antecessor presbyterij honore priuauerat, sanctae Ecclesiae Signinae cōsecrauit episcopum. Ybas nāq; episcopus diiudicatus fuit, sed sancta synodus canonicē suā illi restituit Ecclesiam. Rothadum verò episcopum sanctae Sueffoniensis Ecclesiae à synodo cui Carolus interfuit rex condemnatum, & Soffrenum Placentinum episcopum meritò reprobatum, Nicolauum papa ambos reconciliauit.

De episcoporum transmutatione.

Quia verò episcoporum plurimi ex aliis ciuitatibus ad alias propter necessitatē seu vtilitatē tēporū sum migrati & transmutati, quorū nomina haec sunt. Perigenes in Petris est ordinatus episcopus, sed quoniam ciues eius ciuitatis eū suscipere noluerūt, Romanae ciuitatis episcopus iussit eū in thronizari in Corintho metropoli, defuncto eius episcopo, eiq; donec vixit Ecclesie praefuit. Dositheū Seleutiae episcopū, Alexander Antiochenus episcopus in Tharsum Siliciae trāsmutauit. Reuerētius ab Argis phoeniciae in Tyrū trāsmigratus est. Ioānes de Gordolinia mutatus est in Proconixum, & ei praesedit Ecclesiae. Palladius ab Helinopoli mutatus est in Asponā. Alexander ab alia Helinopoli, in Andrinopolim mutatus est. Gregorius Nazāzenus prius ciuitatis Capadociae fuit episcopus quae Sasima dicitur, deinde à beato Basilio & aliorum episcoporum consensu in Anzianco cōstitutus est. Meletius prius Sebastiae Ecclesiae praefuit, & postea Antiochiae praeful est constitutus. Theusebius ab Apamia Asiae transferretur in Eudoxiopolim, quae dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de vrbe ante Pristena Misiae, in Nicopolim Thraciae mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Frisiae trāsmigratus est in Platinopolim Thraciae. Optimus ab Agardamia Frigiae, in Antiochia Pisidiae trāsmigratus est. Siluanus à Philippopoli Thraciae mutatus est in Troada

FINIS LIBRI PRIMI.